Observationes criticae in C. Valerii Flacci Argonautica.

Georgius Thilo, qui a. 1863 novam Argonauticon recensionem in lucem edidit, quam eximie de Valerio Flacco meritus sit, inter omnes constat, qui nostris diebus poetae immerito tam diu neglecto operam navaverunt. Crisin Valerianam eo potissimum magnopere adiuvit, quod codicis Vaticani 3277 insignem praestantiam primus intellexit eiusque gravissimi libri accuratam conlationem primus instituit. In reliquis tamen libris manu scriptis aestimandis minus feliciter versatus est. Quamquam enim Vaticanus Valeriani textus quasi fundamentum semper manere debet, vereor ne Thilo nimia egregii libri admiratione se abripi passus sit, cum contendat, reliquos codices omnes ex Vaticano descriptos esse eorumque discrepantias non pluris aestimandas esse quam cuiuslibet docti hominis emendationes. Belgico quidem codici plus ponderis tribuendum esse Gustavus Meyncke (Quaestiones Valerianae, Bonnae, 1865) luculenter demonstravit. Quapropter non excusatione egere mihi videor, quod eius libri auctoritatem ad poetae manum restituendam in his qualibuscunque observationibus non prorsus aspernatus sum. Quarum si una alterave Meyncke, qui novam Argonauticon parat editionem, uti potuerit, equidem operam meam me non perdidisse putabo.

I, 213.

Jam navi in mare demissa Mopsus augur Argonautis haud laeta vaticinatur:

> Heu quaenam aspicio! Nostris modo concitus ausis
> Aequoreos vocat ecce deos Neptunus et ingens
> Concilium. Fremere et legem defendere cuncti
> Hortantur.

Quae fuerit ista lex, poeta sicut alibi ita hoc loco procul dubio accuratius indicavit. Cf. II, 357. *lege poli.* — IV, 75. *celsi legem Jovis.* Quamobrem *ponti* pro *cuncti* scribendum esse suspicor. Corruptela inde fortasse orta est, quod e vs. 608 h. l. verba *cuncti fremere intus* nostro versui adscripta sunt ac postea *cuncti* in textum irrepsit.

I, 261.

Ante abitum Jason epulas parari iubet; quarum laetitiam magnopere auget Chiron centaurus parvulum Achillem suae disciplinae alumnum inopinato advehens ut Peleum patrem salutet filiolus. Achilles futuram fortitudinem significans non eas res curat, quibus alii pueri delectari solent.

Illum nec valido spumantia pocula Baccho
Sollicitant veteri nec conspicienda metallo
Signa tenent.

Cur metallo epitheton *vetus* additum sit, non liquet. Mihi *veteri* ex *tereti* corruptum esse videtur, cuius corruptelae causa vox *valido* in praecedente versu esse potuit. Fortasse oculis librarii aberrantibus primum *vereti* scriptum est, quod postea in *veteri* coniectura abiit. Cf. II, 103. *tereti crinem subnectitur auro*, ubi Thilo male unius Vaticani auctoritate fretus *reti* scripsit et *aureo* pro *auro* coniecit.

I, 563.

Juppiter ex Olympo prospiciens Argo navem Aegaeum mare pervehi videt. Oculis ad Herculem et Ledae filios conversis haec fatur:

Tendite in astra, viri; me primum regia mundo
Japeti post bella trucis Phlegraeque labores
Imposuit: durum vobis iter et grave coeli
Institui.

Corruptissimus locus, ex quo vix me expedio, ait Burmannus, et Thilo haec verba non facilem habere explicatum arbitratur. Ac profecto locus talis qualis in libris manu scriptis traditur ferri nullo modo potest. Nam ut alia taceam non liquet quae sit illa regia. Equidem certam emendandi rationem in promptu non habeo; sin autem quis velit ingenio ludere, possit conicere, Valerium ita scripsisse:

Tendite in astra, viri; *nam primus rex ego mundo*
Japeti post bella trucis Phlegraeque labores
Impositus durum vobis iter et grave coeli
Institui.

Post multos labores se principem mundo impositum esse Juppiter dicit; itaque se ab aliis quoque, qui in astra tendant, poscere ut rebus praeclare gestis tantum beneficium mereantur. Quomodo se primum regem appellare possit, intelligitur ex IV, 130, ubi Neptunus se et Plutonem reges secundos vocat.

II, 179.

Lemniacis mulieribus, quae maritos cum Thressis bello captis rem habituros credunt eamque ignominiam vehementer deplorant, Venus matronae imagine adsumpta se immiscet furoremque ut augeat haec ait:

Sarmaticas utinam Fortuna dedisset
Insedisse domos tristesque habitasse pruinas,
Plaustra sequi, vel iam patriae vidisse per ignes
Culmen agi stragemque deum! nam cetera belli
Perpetimur.

Burmannus cum codice Carrionis pro *culmen* censet legendum esse *fulmen*. At uemo inter bellicas calamitates fulmina commemorabit. Quid autem sit *patriae culmen per ignes actum* interpretes non accurate explicuerunt. Scribendum esse puto *Culmina agi*. Patriae culmina sunt fastigia i. e. aedificia, templa urbis, quae conlapsa aptissime per ignes agi, volvi, praecipitari dicuntur. Cf. V, 645. *clara Mycenes Culmina*. Verg. Aen. IV, 670.

flammaeque furentes
Culmina perque hominum volvantur perque deorum.

Aen. XII, 569.

aequa solo fumantia culmina ponam.

II, 233.

Venere instimulante Lemniades tandem caeco furore actae maritos in ipsis thalamis interficiunt.

prensosque toris mactatque trahitque
Femineum genus, inmanes quos sternere Bessi
Nec Geticae potuere manus aut aequoris irae,
It cruor in thalamis et anhela in pectore fumant
Vulnera sq.

It est coniectura Sabellici a plerisque interpretibus probata; libri manu scripti praebent *his*, quod genuinum esse contendo. Sabellici coniectura, si traditas literarum formas respicis, parum probabilis est, nam literae initiales omittuntur potius, quam superfluae adduntur, si sententiam spectas, minime necessaria videtur. Prava distinctio causa fuit, quod sanus locus non recte intellectus est. Est autem post verba *Femineum genus* punctum, post *irae* comma vel colon ponendum, ita ut a verbis *His cruor* apodosis incipiat. Verbum *fumant* non modo ad *vulnera*, verum etiam ad *cruor* referendum est, qui recte fumare dicitur recens fusus et adhuc calidus. Cf. I, 816. *fumantia pocula tabo*. Ita habes optimum sensum: „Maritis, qui e belli discrimine feliciter evaserant, his mors in ipsis thalamis paratur.“ Cf. Verg. Aen. XII, 544.

Occidis, Argivae quem non potuere phalanges
Sternere, nec Priami regnorum eversor Achilles,
Hic tibi mortis erant metae.

II, 253.

Dum reliquae Lemniades in omnes viros saeviunt, Hypsipyle patrem servare cupiens eum hortatur ut statim fugam capessat, ante quam ipsa reliquarum exemplo abrepta furori se dedat.

Jam fuge, iam dubiae donum rape mentis et ensem
Tu potius, miserere, tene.

Thilo Vaticani scripturam servavit, quamquam *miserere* ineleganter orationi insertum esse non negat. Cui ut adstipuler in primis me movet locus Vergilianus, ubi, quamvis alio sensu, eadem verba occurrunt. Aen. XII, 776.

Tum vero amens formidine Turnus
Faune, precor, miserere, inquit, tuque optima ferrum
Terra tene.

Vix enim credibile est quam crebro Valerius Vergilium in primis ultimos Aeneidos libros imitatus sit. Quod quamquam a viris doctis saepe observatum est, saepius tamen ad crisin Valerianam adhiberi posse arbitror.

II, 317.

De Polyxo vate Lemniaca haec dicuntur:

Non patriam, non certa genus, sed maxima . . . . .
. . . . . .
Proteaque ambiguum Phariis . . . . ab antris
Huc rexisse vias iunctis super aequora phocis.

Ita locum Thilo exhibet. Post *maxima* V habet *taetae*, M *taetae,* P *tete,* C *caete;* in vs. 318 VC *pharii se* , PM *phariis e.* Lacuna, quae post haec verba in VP est, *patris* voce inserta in MC expleta est. Locum corruptissimum esse non est quod demonstrem; neque diutius in Heinsii Burmannique coniecturis refellendis commoror; eo enim munere iam Thilo egregie functus est. Neque vero necesse est cum Thilone totum versum inter vs. 317 et 318 excidisse statuamus. Poeta narrare vult, unde Polyxo venisse Lemniades suspicatae sint. Quibus verbis ad hanc sententiam enuntiandam usus sit, haud facile quisquam cum aliqua certitudinis specie divinabitur; poterat autem, ut hoc ludam, Valerius ita fere scribere:

Non patriam, non certa genus, *Ceto comitata*
Proteaque ambiguum Phariis *narratur* ab antris
Huc rexisse vias iunctis super aequora phocis.

Hac coniectura poetae manum restitui non affirmaverim; id tantum ostendere volo, ad plenam sententiam recuperandam toto versu non opus esse.

II, 493.

Hercules in Troiano litore incidit in Hesionam, Laomedontis regis filiam, quae saxo inligata narrat, se horrendae belluae marinae devorandam hic expositam esse. Deinde poeta sit pergit:

Auxerat haec locus et facies maestissima capti
Litoris sq.

Captum litus interpretes explicant a monstro insessum, non tum quidem, sed alio tempore. At facies litoris talis erat, ut praesentibus indiciis Herculis miserationem augeret. Heinsii coniecturae, quae sunt *vasti* vel *cassi* vel *aperti,* hunc sensum non praebent. Equidem puto scribendum esse *rupti* litoris i. e. a fluctibus et a bellua vehementer flagellati. Cf. V, 175.

mirantur ab alto
Litora discussa sterni nive ruptaque saxa.

II, 519.

Belluae adnatantis motus ita describuntur:

Illa simul molem horrificam scopulosaque terga
Promovet ingentique umbra subit, intremere Ide
Inlidique ratis pronaeque resurgere turres.

Ita editores. Libri manu scripti habent *Idem* et *rates.* Locus procul dubio corruptus est, neque emendationes adhuc prolatae omnibus partibus sufficiunt. Quamvis enim apud Valerium multa tolerare debeamus, quae apud alium poetam reiicienda essent, tamen id nemo sanus dicere potest, pistris motibus Idam montem intremuisse, Argo navem, quae longissime aberat inlisam esse, turres praecipitatas resurrexisse. Novam igitur emendandi viam ingrediendam esse ratus, poetam sic scripsisse suspicor:

intremere *Iden*
Inlidique *putes pronasque* resurgere turres.

Bellua horrendae magnitudinis (cf. vs. 479 et 523) cum se movet, putaveris magnum montem in mari moveri vel turres inlidi, praecipitari praecipitatosque iterum resurgere.

III, 440.

Postquam Argonautae inscii ubi terrarum essent cum Cyzicenis amicis noctu manus contulerunt magnumque numerum eorum pugna interfecerunt, Mopsus ad placandos Deos Manes hostias parari iubet.

Tunc piceae mactantur oves, prosectaque partim
Pectora, per medios partem gerit obvius Idmon.

Recte in his versibus mendum latere interpretes observaverunt. Coniecturae autem, quibus locum emendare studuerunt, audaciores sunt, quam quae admitti queant. Sola vox *pectora* mihi corrupta videtur, pro qua *corpora* scribendum esse existimo; quod quam facile propter sequentem particulam *per* in *pectora* abire potuerit, in propatulo est. Verba *prosectaque partim corpora* significant *corpora partim prosecantur* i. e. *aris imponuntur*. Qua significatione *prosecare* verbum usurpari vel thesauri docent. Haec igitur ni fallor poetae mens est: „Pars corporum dissectorum arae imponitur, ut comburatur (cf. vs. 443. *rapidis adolentur cetera flammis*); Idmon gerit alteram partem, quae postea lustrandi causa in mare proiicitur (cf. vs. 442. *lustramina ponto Pone iacit*).

III, 737.

Hercules omnia frustra tentavit, ut Hylam suum in montibus amissum inveniret. Tandem nescius, ubi eum diutius quaerat, in silvis perseverare constituit et alta voce ingemit sicut leo, cui catuli erepti sunt.

Non aliter gemitu quondam lea prolis ademptae
Terga dedit; sedet inde viis, inclusaque longo
Pervigilant castella metu.

Quia leaena catulis privata non aufugit, sed potius in homines irrumpit, verba *Terga dedit* Valerii esse nequeunt. Virorum doctorum inventa, quibus locum sanare tentaverunt, aut a sententia non placent aut a traditis literis longius recedunt. Liceat igitur mihi novam meam qualemcunque coniecturam proferre:

Non aliter gemitu quondam lea prolis ademptae
Signa dedit;

Cf. V, 261. *data seri Signa mali.* — Ovid. Metam. III, 207. *latratu signa dedere.*

IV, 183.

Ad Amyci speluncam prope accedentes Argonautae „varios pro rupe metus“ vident.

hinc trunca rotatis
Bracchia rapta viris strictoque inmortua caestu
Ossaque taetra situ et capitum maestissimus ordo.
Respicias quibus adverso sub vulnere nulla
Jam facies nec nomen erat.

Voculam *et*, quae deest in libris manu scriptis, Heinsius addidit. At verbum *respicias* non habet quo apte referatur. Unde, sublata post *ordo* distinctione, suspicor poetam ita scripsisse:

Ossaque taetra situ *capita et maestissima sorde*
Respicias, quibus sq.

IV, 387.

Mercurius a Jove iussus Argum Jus custodem interficere cantibus eius vigilantiam fallit:

Cyllenius ales
Advenit et leni modulatur carmen avena,
„Quoque“ ait „hinc diversus abis? heus respice . . .
Haud procul insectans Argum languentia cantu
Lumina cuncta notat dulcesque sequentia somnos,
Et celerem mediis in cantibus exigit harpen.

Ita locum Thilo ex depravata codicum lectione, ut mihi quidem videtur, recte constituit. In lacuna, quam in exitu versus 387 significavit, vocativum aliquem intercidisse putat, quo Argus compellatus fuerit. Cum libri manu scripti *cantus* exhibeant, veri simile videtur genuinae vocis primam literam „c“ fuisse. Quapropter *custos* scribendum esse arbitror. Cf. VIII, 75.

Te quoque, Phrixeae pecudis fidissime custos,
Tempus ab hac oculos tandem deflectere cura.

IV, 624.

Phineus Jasoni futura praenuntiat atque vaticinationem hisce verbis finit:

„Jamque ultima nobis
Promere fata nefas; sileo et precor.“ Adque ita facto
Fine dedit tacitis iterum responsa tenebris.

Verbum *precor* ita nude positum parum placet. Quapropter *sileam precor* legendum esse putaverim. „Reliqua edicere nefas est,“ inquit vates; „permitte mihi igitur ea silentio praeterire.“

IV, 716.

Pontus Euxinus describitur ut omnium marium longe vastissimum:

Non alibi effusis cesserunt longius undis
Litora, nec tantas quamvis Tyrrhenus et Aegon
Volvat aquas, geminis et desint Syrtibus undae.

Recte Thilonem vs. 715 *iunctus* pro *quamvis* coniecisse puto; perperam autem J. Columbo auctore vs. 716 *nec* pro *et* in textum recepit. Haec enim poetae mens est: „Non alius pontus tantas aquas volvat, et ipsis geminis Syrtibus, si comparentur cum Ponto Euxino, undae desint, minores aquas volvant quam ille.“ Ita si locum accipis, violenta emendatione Ph. Wagneri, qui (Philol. XX. p. 639) *tantum geminis a Syrtibus absunt* legi iubet, minime opus est.

V, 3.

Dum Argonautae apud Mariandynos commorantur, Idmon augur morbo absumitur:

Argolicus morbis fatisque rapacibus Idmon
Labitur extremi sibi tum non inscius aevi.

Sibi hoc loco supervacaneum, *tum* vero ineptum est; nam Idmon vates erat dudumque mortem suam praesciverat. Cf. I, 238.

Lacrimae cecidere canenti,
Quod sibi iam clusos invenit in ignibus Argos.

Si pro *sibi tum* scribitur *dudum,* genuinam Valerii manum restitui contendo.

V, 224.

Ante quam poeta labores Jasoni in terra continenti subeundos describere suscipiat, alia narranda esse dicit.

Ante dolos, ante infidi tamen exsequar astus
Soligenae falli meriti meritique relinqui
Inde canens: Scythica senior iam Solis in urbe
Fata laborati Phrixus compleverat aevi.

Verba *inde canens* genuina non esse Meyncke (l. l. p. 43) demonstravit; idem superiorum interpretum inventa ad locum sanandum nihil adferre ostendit. Coniectura autem ab ipso prolata: *Jam canens Scythica genitoris Solis in urbe* ingeniose quidem excogitata, sed paulo audacior est. Equidem post *relinqui* puncto distinguendum et *incipiam* pro corruptis *inde canens* scribendum esse crediderim. „Antea", inquit poeta, „Aeetae perfidiam canam; sed ne diutius commorer, iam initium faciam."

V, 246.

Aeetes somnio perterritus subito e lecto se proripit et Solem patrem precatur:

Haec tibi, fatorum genitor tutela meorum
Omnituens.

Post verba *Haec tibi* alii interpretes suppleri iubent *credo* vel *committo;* quod durius esse sentientes alii violentis emendationibus opus esse putaverunt. Mihi contra locus prava distinctione laborare videtur. Male enim post *tibi* distinguitur. Scribe et distingue:

Haec tibi fatorum, genitor, tutela meorum,
Omnituens.

Quid clarius? Haec tibi sit tutela, haec cura fatorum meorum tua sit, mi genitor omnituens. Cf. V, 643.

Est amor et rerum cunctis tutela suarum.

V, 468.

Simili ratione, qua apud Vergilium (Aen. I, 411 sq.) Aeneam et Achaten ad Carthaginis moenia gradientes Venus obscuro saepit aëre, Jason cum novem comitibus a Junone tenui nebula involutus Aeetae urbem intrat et ad Phoebi templum properat, ubi Aeetam cives precantes auditurum esse a famula duce doctus est. Postquam rex advenit, Jason cum sociis subito e nebula exit Colchisque attonitis se ostendit. Tum illi

Conveniunt rogitantque viros rogitantque, quid ausi,
Quidve ferant.

In repetitione verbi *rogitantque* interpretes iure offenderunt. Ad locum sanandum Heinsius proposuit *urguentque, quid ausi,* cui propterea adstipulari non possumus, quia, ut recte Thilo monuit, urguendi verbum eandem fere vim habet quam rogitare. Neque si urguere sensu impellendi accipere velis, credibile est, Argonautas rogatos statim respondere noluisse et superbe siluisse. Non magis placet inventum Burmanni, qui pro *rogitant* priore vel secundo loco *pavitant* substitui iubet; non enim Colchorum erat pavere, sed potius Minyarum, qui ab illis rogabantur, quid ausi essent. Coniectura Thilonis, quae est *lustrantque viros* primo obtutu sane habet, quo commendetur. At lustrare verbum significat accurate contemplari, omnibus partibus spectare, neque veri simile est, Colchos in adspiciendis Minyis multum temporis consumpsisse. Immo procul dubio celeriter convenerunt statimque advenas frequentes circumdederunt. Quapropter Valerium ita scripsisse conicio:

Conveniunt, *stipantque* viros rogitantque, quid ausi,
Quidve ferant.

Cf. VII, 556.

At sua magnanimum contra Pagasaea iuventus
Prosequitur stipatque ducem.

Verg. Georg. IV, 215.

Illum admirantur, et omnes
Circumstant fremitu denso stipantque frequentes.

VI, 110.

Inter gentes cum Perse bellum contra Aeetam facturas Drangaei narrantur canes pugnae adsuetos secum duxisse. Ii propter fortitudinem mortui inter sepulcra hominum locum obtinent. Iidem in pugnam ituri instar hominum armantur; pectora enim et cervices eorum ferreis laminis collaribusque adversus hostilia arma muniuntur. Quam sententiam poeta hisce versibus enuntiavit:

Inde etiam par mortis honos tumulisque recepti
Inter avos, positusque virum; nam pectora ferro
Terribilesque innexa iubas ruit agmine nigro
Latratuque cohors.

Ita locum distinguendum esse contendo. Interpretes prava distinctione impediti verba *positusque virum* non recte intellexerunt. Nam distinctione ante haec verba sublata ea arctius cum praecedentibus cohaerere et a praepositione „inter“ pendere arbitrati sunt. Unde alii *positus* vocabuli notionem poetam ita mutasse dicunt, ut loci significarentur, in quibus virorum corpora iacerent. Quod fieri posse etiamsi concederes, languidam dicendi ubertatem poetae vix condonare posses. Heinsius et Peerlkampus verba *„positusque“* sana esse negaverunt. Ille coniecit *positique;* at iam Burmannus monuit „positique“ et „recepti“ ineleganter geminari; neque, ut Thilo recte ait, collocatio verborum ita comparata est, ut quid voluerit poeta facile appareat. Peerlkampi coniectura *inter avos proavosque* audacior videtur. Iam vide, quam egregiam sententiam sine ulla traditorum verborum mutatione Valerio reddiderimus. „Positus“ est nominativus qui respondet praecedenti nominativo „par mortis honos“; non vero est accusativus neque pendet a praepositione „inter“. Posituram autem virorum poeta istis canibus iure tribuit, tum quia pectora eorum ferro munita sunt, tum quia fortibus viris similes ad pugnam progrediuntur.

VI, 128.

Jazyges voluntaria morte senectutis decrepitae aerumnas praevertere narrantur.

Magnanimis mos ductus avis, haut segnia mortis
Jura pati, dextra sed carae occumbere prolis,
Ense dato; rumpuntque moras natusque parensque,
Ambo animis, ambo miseri tam fortibus actis.

Quomodo ultimus versus apte explicetur neque ipse inveni neque ullus interpretum me docuit. Solus Wagnerus quod sciam huius versus interpretandi periculum fecit; qui hanc poetae mentem esse dicit: „Miseri patres, qui haec animis concipere, miseri filii, qui desideria patrum explere sustinent.“ Quam interpretationem in locum nostrum quadrare nego. Nam neque sententia convenit, quia Jazyges tam superbi quam miseri antiquo mori obsequebantur (cf. V, 289 sq. 308 sq.), neque liquet, cur vox „ambo“ repetatur. Mihi poeta hoc videtur significare voluisse: Et patres et filii superbi sunt cum exempla maiorum sequantur: illi quia intrepidi filiis sese interficiendos committunt, hi quia vel patribus mortem infligere audent. Utrique miseri quoque vocari possunt, quia et mortem a filii manu pati et patrem trucidare profecto triste est. Quam aptissimam sententiam recuperamus, si lenissima mutatione adhibita versum ita constituimus:

Ambo *animosi,* ambo miseri tam fortibus actis.

Simili ratione duo adiectiva iunguntur VII, 653.

ambo truces, ambo abscessere minantes.

VI, 163 sq.

Enumeratis gentibus, quae ab Aeetae et quae a Persae partibus stant, multitudo et

strepitus earum comparatione illustrantur, quam Valerius ab Homero (Il. II, 459 sq.) mutuatus est; ita tamen ut imitatorum more alia omitteret, alia mutaret, alia adderet. In octo versibus, qui hanc comparationem complectuntur, ordinem a librariis turbatum esse Meyncke (l. l. p. 13) vidit. Nam vs. 166 et 167 nisi initio ponantur comparationis continuitatem interrumpunt; deinde versus 163 cum antecedentibus non recte cohaeret; versu 166 autem apte informamur populorum enumeratorum seriem nunc terminari. In eo tamen errasse puto virum doctissimum, quod versus 163—165 in finem comparationis post versum 170 relegaverit. Qua transpositione oratio inconcinnior fieri mihi quidem videtur. Nam si eam admittis, ea pars comparationis, quae ad animos legentium permovendos magis idonea est, priorem, non vero, uti par est, ultimum locum tenet. Ad genuinum versuum ordinem recuperandum nihil opus est quam ut versus 166 et 167 ante versum 163 ponantur, ita ut oratio hoc modo procurrat:

166 Tunc lituum concentus agit lymphataque miscet
167 Milia; quot foliis, quot floribus incipit annus.
163 Nec tot ab extremo fluctus agit aequore, nec sic
164 Fratribus adversa Boreas respondet ab unda,
165 Aut is apud fluvios volucrum quatit aethera clamor.
168 Ipse rotis gemit intus ager, tremibundaque pulsu
169 Nutat humus; quatit ut saevo cum fulmine Phlegram
170 Juppiter adque imis Typhona reverberat arvis.

In versu 165 scribendo cum Meynckio Belgici codicis auctoritatem secutus sum; nam e depravata Vaticani memoria, quae est: *aut is apud fluvios volucrum clamor aethera quantus,* vel coniectura violenta nullus nisi languidus sensus elici potest. Conferre iuvat locum Statianum nostro similem, Theb. X, 456.

novus assilit aethera magnum
Clamor.

VI, 247.

In pugna inter Colchos et Persae copias facta Oebasus, dux Colchicus,

laevum per luminis orbem
Transigitur; tenerae *liquuntur* vulnere malae.

Sic Thilo scripsit codicem Carrionis et editionem Aldinam secutus, quanquam non ignorabat, „Valerium sic scribere non potuisse nisi verbi illius significatione quae est *liquefacere* ita mutata, ut esset *rigare* vel *imbuere.*“ Cum autem nulla attulerit exempla, quibus demonstretur, verbum illud hac significatione usurpari neque ego eiusmodi exempla invenire potuerim genuinae scripturae vestigia in Vaticano latere suspicatus sum, qui *linquuntur* exhibet. Puto enim Valerium *tinguuntur* scripsisse. Fortasse iam in antiquis-

simo codice, ex quo Belgicus et Vaticanus originem habent (cf. Meyncke l. l. p. 28), *tinguuntur* in *linguuntur* mutatum erat; quod in altero libro in *liquuntur*, in altero in *linquuntur* facile abire poterat.

VI, 332.

Gesander Scytha in Canthum Argonautam incidens ei Scytharum vitam superbiens describit:

Feror arctois nunc liber in arvis
Cuncta tenens mecum; omnis amor iacturaque plaustri
Sola, nec hac longum victor potiere rapina;
Ast epulae quodcumque pecus, quaecumque ferarum.

Versus 332 Pio subdititius et adulterinus visus est. Ac profecto verba *nec hac — rapina* neque cum antecedentibus neque cum sequentibus apte cohaerent. Minime convenit superbae Gesandri iactantiae dicere, Canthum re vera quamvis non diu victorem futurum esse. Pessime sibi ominatus esset ferocissimus iste Scytha, si talia dixisset. Neque placent verba *longum potiere* pro *diu possidebis*. Eiicienda igitur esse puto verba *nec hac—ast*, atque poetae manum ita restituere mihi videor:

omnis amor iacturaque plaustri
Sola; epulae quodcumque pecus, quaecumque ferarum.

Fortasse versus *Ast nec hac longum victor potiere rapina* ex nescio quo poeta huic loco adscriptus inter duos istos versus irrepsit; postea ne nexus turbaretur, verba *sola* et *ast* a librario quodam transposita sunt.

VI, 721.

Myraces, legatus regis Parthorum, qui pugnae temere se immiscuerat, interficitur ante oculos Medeae, quae a muris urbis pugnam spectat. Sed illa, de uno dilecto Jasone sollicita Myracis morte non magis movetur quam rebus a Meleagro, Talao, Acasto praeclare gestis.

sed non magis illa movetur
Unius aegra metu, quam te, Meleagre, furentem,
Quam Talaum videt aut pugnas miratur Acasti
(At sotis hos ipsae gentes campique videbant)
Tempestate pari versis incumbere turmis.

Ita si locus cum editoribus distinguitur, oratio non bene procurrit. Vide enim, quam inepte pugnae Acasti tempestate pari versis turmis incumbere dicantur. Cui incommodo non mederis, si cum Heinsio versum 721, qui intolerabili sane ratione inter praecedentem et sequentem intercalari videtur, tanquam spurium tollis. In eo erraverunt omnes interpretes,

quorum editiones inspexi, quod versum 721 parenthesi inclusere atque versus 720 et 722 arcte iunxere. Locus nemini scrupulos movebit, si parenthesi sublata post vocem *Acasti* puncto distinguitur:

aut pugnas miratur Acasti.
At satis hos ipsae gentes campique videbant
Tempestate pari versis incumbere turmis.

Ita aptissima comparatione usus Valerius ait, Meleagrum, Talaum, Acastum sicut tempestatem turmis hostium fugatis incubuisse.

VI, 755.

Nocte ingruente Medea tandem de muris descendit, sed summa animi perturbatione perculsa mox ad spectandum Jasonem regreditur:

aegraque muris
Digreditur longum virgo perpessa timorem.
Ut fera Nyctelii paulum per sacra resistunt,
Mox rapuere deum iam iam in quodcumque paratae
Thyiades, haut alio remeat Medea tumulta.

Haec sana non esse mihi persuasum est. Desideratur enim particula, qua indicetur oppositio, quae interest inter actionem digrediendi et remeandi. Scribendum igitur est:

At fera Nyctelii paulum *ut* per sacra resistunt sq.

VII, 85.

Jason de Aecte in bello contra Persen facto egregie meritus vehementer stupet, quod vellera a rege promissa non sponte accipit, sed nova pericula subire iubetur.

Non ita Tyrrhenus stupet Ioniusque magister,
Qui iam te, Tiberine, tuens clarumque serena
Arce pharon praeceps subito nusquam ostia, nusquam
Ausoniam videt, at saevas accedere syrtes.

Meyncke (l. l. p. 15) recte monuit, Thilonem versu 85 olim melius *praeceps rapitur* coniecisse, quam nuper inter *praeceps* et *subito* lacunam statuisse. Equidem puto Thilonem hac coniectura perperam ab eo ipso reiecta genuinam scripturam restituisse. Nam verba *rapitur subito* ex II, 312 huic versui adscripta corruptelae causa fuisse videntur.

VII, 94.

Jason Aeetae perfidiam duris verbis increpans affirmat se nihil timere, quicquid Pelias, Aeetes, omnes tyranni sibi imperent.

Quin agite hoc omnes odiisque urguete tyranni
Imperiisque caput; numquam mihi dextera nec spes
Defuerit; mos iussa pati nec cedere duris.
Unum oro sq.

Ita locum exhibet Thilo, qui in versu 94 pro *quamquam,* quae est codicum scriptura, J. Columbi coniecturam *numquam* inter poetae verba recepit. At locum talem qualis in libris manu scriptis traditur sanum esse, facile intelliges, si inepta distinctione sublata verba *mos—duris* parenthesi incluseris. Nempe ita est distinguendum:

Imperiisque caput. Quamquam mihi dextera nec spes
Defuerit (mos iussa pati nec cedere duris)
Unum oro sq.

Sensus est: „Licet mihi dextera sit nec spes desit, unum tamen oro."

VIII, 194.

Cum Argonautae in patriam redeuntes iam prope aberant a Symplegadibus, per quas nuper nonnisi extrema navis parte truncata transierant, Erginus gubernator ab iis cavere iubet aliamque quamvis longiorem viam eligere.

Sint age tanti,
Aesonide, quaecumque morae, quam saeva subire
Saxa iterum, quam Cyaneas perrumpere montes.
Sat mihi: non totis Argo redit ecce corymbis.

Interpretibus plerisque verba *Sat mihi* sunt locutio elliptica, quae quomodo commode expleatur, neque ipsi docent, neque facile quisquam inveniet. Heinsius et Burmannus versum coniecturis vexaverunt. Equidem locum non emendatione egere, sed iterum prava distinctione laborare putaverim. Dinstinctione post *mihi* sublata *sat* ad *totis* referendum est, ita ut Erginus haec dicat: „Non satis totis i. e. non satis integris, sed vexatis, laceris, truncatis corymbis Argo navis redit." Pravae distinctionis auctores videntur nesciisse quanta Valerii in verbis collocandis fuerit neglegentia. Cuius exempla Thilo in Prolegomenis suae editioni praemissis (p. XX) complura collegit; quibus, si mea interpretatio placuerit, hic versus addendus est.